

1. Dav: Vogel Diff. an creatio Mundi ex lumine nature demonstrari queat. 1704.
2. Chr. Mascevoj Diff. ex Gen. I. vi. 1723.
3. Joachi Hildebrandi Diff. de creatione universi 1687.
4. Berth. Derschow Diff. de immortalitate primi hominis. 1629
5. Christ. Mascevoj Diff. de voluntate Adam 1710
6. Joh: Hurelmanni Diff. de lapsu primorum parentum. 1637.
7. Mart. Corseh Diff. II, de fluvio paradisi. 1706.
8. Aug: Pfeifferi, Diff. de homicidio Lamechi. 1671.
9. Christ. Neubaur Diff. de signo quod Deus Caini posuit. 1672.
10. Joh. phil. Pfeifferi Diff. de homicidio Lamechi. 1670

Q. D. B. P.

DISPUTATIO THEOLOGICA III,
DE

**GENUINO ET
HARMONICO SENSU
DICTORUM**

Exod. XX, 5. & Ezech. XIIX, 19. 20.

apparenter sibi contradicentium,

Conciliationem eorundem ex mente Spiritus S. tradens;

Qvam,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO atq. EXCELSISSIMO PRINCIPE ac DOMINO,

**DOMINO FRIDERICO
WILHELMO,**

REGNI PRUSSIAE ET ELECTORATUS BRAN-

DENBURGICI HAEREDAE, &c. &c. &c.

VENERANDAE FACULT. THEOL. CONSENSU,

IN ACADEMIA REGIOMONTANA,

Placidae eruditorum ventilationi sistant,

PRÆSES

MICHAEL SCHREIBER,

S. Theol. Doct. & P. P. Ordin. Consiliar. Consistorial. Eccles.

Cathedral. Cniphosian. Pastor ac Bibliothecar. Wallenrod.

Et Respondens

ANDREAS ERNESTUS Dorn /

Rector Scholæ Angerburg.

ad d. Martii. A. MDCCXII.

IN AUDIT MAX Horis consueta.

ILLUSTRISSIMO & EXCELLENTISSIMO DOMINO,
DN. JOACHIMO HEINRICO,

S. R. I. Hæreditario Dapifero & Comiti
à WALDBURG,

Serenissimi ac Potentissimi Regis in Prussia locum tenenti Generali, & Legionis
pedestris Chiliarchæ strenuo, Capitaneatus Angerburg. Toparchæ
gravissimo, Domino in Condehnen, Lankheimb &c.

Domino meo gratiosissimo, Musarum Patrono maxime.
ut &

Viro Prenobilissimo, Amplissimo atq; Consultissimo,

DN. HEINRICO HAHN,

Inclytæ urbis Cniphofianæ Consiliario singulari prudentia conspicuo,
S. R. M. in Pruss. Commissionum Secretario dexterrimo,

Fautori atq; Avunculo multis nominibus colendo.

Nec non

Viro Admodum Reverendo, Amplissimo atq; Clarissimo,

DN. GEORGIO ANDRÆ HELVING,

Philosophiæ Magistro, Ecclesiæ Angerburgensis Pastori meritissimo, Districtus
illius Seniori venerando, Scholæ nostratis Inspectori vigilantissimo, nec non
Societ. Scientiar. Regiæ Berolin. membro spectabili,

*Patrono, Confessionario, Benefactori ac Patri meo in Christo
æternum devenerando.*

Tandem

Viris Plurimum Reverendis, Clarissimis, Nobilissimis & maxime conspicuis,

DN. M. ERNESTO FRIDERICO

KESSELRING,

Eccles. Germovienf. ad littus maris Bal-
thici Pastori optime merito.

DN. JOH. FRIED. BORETIO,

Eccles. Angerb. Polon. Pastori & Ger-
manicæ ejusdem loci Diacono
fidelissimo.

DN. JOHANNI BERNHARDO

HAHN,

Philosophiæ Magistro.

DN. JOH. CHRIST. POELMANN,

S. R. M. in Pr. à Commissionibus & Ca-
pitaneatus Bartenfis Seretario dex-
terrime.

DN. CHRIST. FRIED. NIEZSCH,

S. R. M. Archi-Capitaneatus Tapiav.
Secret. meritiss. & Arendatori
fidelissimo.

DN. JACOBO LAZAROVIO,

Judicii terrestris Angerb. Assessori,
Domino in Lenkuk, &c.

Amicis & Fautoribus honoratissimis.

Disputationem hanc

d. d. d.

S. XLVIII.



Optimus Scripturæ interpres est ipse Spiritus S., quo nimirum illa inspirata est. Hac clave primi Ecclesiæ Doctores in referendis verbi Divini adytis usi sunt, ante editos commentarios, quum non aliunde Scripturam S. exponere potuerint, quam ex ipsis Scripturæ Pandectis. Sentit ita Hilarius L. I. de Trinit. Optimus lector est, qui dictorum intelligentiam expectat ex dictis potius, quam imponit & retulit, magis quam attulit: neque cogit id videri dictis contineri, quod ante lectionem presumpsit intelligendum. Cum itaque de rebus DEI est sermo, concedamus cognitionem sui DEO, dictisque ejus pia veneratione famulemur. Idoneus enim sibi testis est, qui nisi per se cognitus non est. Et Ambrosius in Psalm. 118, Serm. 8. Multa obscuritas in Scripturis Prophetis: sed si manu quædam mentis tuæ Scripturarum januam pulses, & ea, quæ sunt occulta, diligenter examines: paulatim incipies rationem colligere dictorum, & aperietur tibi non ab aliò, sed à DEI verbo, de quò legisti in Apocalypsi, quod agnus librum signatum aperuit, quem nullus ante aperire poterat: quia solus Dominus Iesus in Evangelio suo Prophetarum enigmata & legis mysteria revelavit. Solus scientia clavim detulit, & dedit aperire nobis. Obtinetur Spiritus S. mens, & genuina Scripturæ interpretatio tum scoposopia, tum circumstantiarum, ac cu-va Deias in textu fluentis attentione, v. g. quando B. Maria vocatur uxor Josephi, Matth. I. 20. non id accipiendum de tali uxore, quæ habet maritum cum mutuâ unius in alterius corpus potestate, generandæ sobolis ergo; obstant enim verba subsequenti: *Et non cognovit eam*: item cum Christus Joh. VI. 63. dicit: *Spiritus est, qui vivificat, caro autem non prodest quicquam*; non potest is verborum ejus sensus esse, carnem

I

ipfius

ipſius nihil prodeſſe, quandoquidem paulò ante contrarium reperiatur, ubi ait: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum, & panis, quem ego dabo, caro mea eſt, quam dabo pro mundi vita.* Quomodo autem caro illa vitam æternam poteſt dare, ſi nihil prodeſt?

§. XLIX.

Quod ſi igitur hoc modò ipſum introſpicimus textum propoſitum, tam manifeſta inter loca noſtra controverſa occurrat harmonia, ut miram ſit, tot eruditiffimis viris illam non apparuiſſe. Namq; ut firmo divina ſententia ſtat talo, filium non portaturum iniquitatem patris ſui, ita in Exodo huius contrarium nequaquam decernit DEUS, ſed hoc tantum pronunciat, quod parentum peccata in liberis eorundemque nepotibus viſitare, ſive punire velit. Eamq; DEI eſſe mentem, egregiè Lutherus in Catechiſmo aperuit, verſione ſic inſtituta: *Ich der HERE dein GOTT / bin ein ſtarker eyffriger GOTT / der über die / ſo mich haſſen / die Sünde der Väter heimsuchet an den Kindern / biß ins dritte und vſerte Glied.* Probè hæc duo diſcernenda putamus, quæ ſunt diverſiſſima: aliud eſt punire velle liberos, aliud punire parentes in liberis. Puniuntur & in bonis sæpè ſuis delinquentes, v. g. in animalibus, in domibus, pecunia &c. hæc tamen ipſa eapropter non puniuntur. Pœnæ enim obnoxium non eſt, quod eſt immune à culpâ. Unde & pœna dicta eſt à puniendò, vel à poenitendò, quod poſt peccatum ſequitur, quemadmodum Varro notavit Libr. 4. de Lingv. Lat. Ita poſt lapſum punitus quoq; homo eſt in terrâ, cui DEUS maledixit, neq; tamen eapropter terram eſſe punitam quis dixerit, iudice vel ipſò Socino, in Diſp. de ſtatu primi hominis Th. VI. ita rem explicante: *Non ulla patitur ratio,*

ut de alia maledictione, ea DEi, apud Mosē verba interpretemur, quam de illā, de quā ibi expressè agitur, quæ homini scilicet detrimentosa futura erat, & ad illius punitionem respiciebat; nulla tamen interea ipsi terra vera pœna inflicta. Quod nec fieri poterat, cum terra sensu careat, & non nisi per profopopaiam, pœnas aliquas subire dici queat. Similiter hic DEus se liberos malorum parentum afflictorum esse comminatur, ut eò magis hos à peccatis retrahat, omnium optimè cordis humani conditionem perspectam habens, quod nulla alia magis acerba potest affici pœna, quam ubi parentes se in filiis suis affligi experiuntur. Unde minas suas non ultrā abnepotes extendit DEus, quos nimirum attingi posse à parentibus constat. Chrysof. Hom. 29. in Genes. *Non minorem, inquit, pœnam & cruciatum habet pater quàm filius. Scitis quomodo se penumero patres orant, ut filiorum pœnas ipsi ferant: & quomodo gravius illis est, videre filios supplicio affici, quam si ipsi his forent obnoxii.* Et Gregor. M. in cap. 21. Jobi inquit: *Plerumq; percutitur pater in filiis, ut acrius uratur.*

§. L.

Objicies, aliam tamen esse liberorum, quam terræ conditionem: quoniam enim illi homines sunt, adeoque sensu præditi, etiam pœnæ capaces esse, hancq; magis sibi ad animum revocare possunt, quo minus eandem promeruerunt. Regero, malum, quod sustinent filii propter peccata parentum, esse utiq; pœnam in se, sed non ratione filiorum, intuitu peccati parentum afflictorum, non enim omnia, quæ homini molesta vel damnosa sunt, statim pœnarum rationem habent. Quam multi pauperes, vel cœci, vel aliò modò miseri nascuntur? quot incendio, naufragio, incursum hostium, omnia sua amittunt, quibus sua hæc egestas vel in-

felicitas non propria ob peccata inflictâ. sed fatale malum est. Huc spectat colloquium Domini cum discipulis super cœco aliquo à nativitate tali habitum. Interrogabant illi, uter peccasset, num cœcus hicce, an parentes ejus, ut cœcus natus fuerit? & respondit JEsus: *Neg. hic peccavit, neq. parentes illius: sed ut manifesta fierent opera DEi in illo,* Joh. IX, x. 2. & 3. Deinde tenendum, aliud esse damnum directè datum, aliud quod tantum per consequentiam venit. Illud est, quando alicui aufertur, ad quod jus propriè dictum jam habebat. Hoc autem vocatur, per quod intercipitur conditio, sine quâ iste jus non erat habiturus. Sic quando parentum bona confiscantur, sentiunt inde incommodum quidem liberi; sed id propriè non est pœna respectu liberorum, quia bona illa ipsorum futura non fuerant, nisi à parentibus ad ultimum spiritum forent conservata. Item si ego alterius aedes precario inhabitarem, easq; ob debitum domini alienari contingeret, incommodum & ipse sentio, dum mihi jam est migrandum, cum fortasse diutius iste me inhabitare permisisset; pœna tamen propriè non afficior. Nam debitor, qui dominium aedium nactus est, suò jure precarium usum pro lubitu mihi finire potest. Similiter proditorum & perduellium liberi sæpè honoribus excluduntur; id quod parentibus quidem in pœnam redundat, dum propter ipsos earissimi coguntur inglorii vivere; in liberis autem idem pœnæ rationem non habet; quippe cum in arbitrio Principis sit, cui velit honores mandare, adeoq; ipse suò jure ab honoribus possit arcere, etiam tales, qui ipsi nihil peccaverunt, ubi ex usu Reipublicæ id esse judicavit.

§. LI. Quid? quod ipsa Scriptura manifestum di-
 scrimen facit inter poenas propriè sic dictas & castigationes.
Quem diligit DEus, παιδευ, h. e. corripit, πασι τοι flagellat
autem omnem filium, quem recipit, si castigationem sustinetis,
velut filius se vobis offert DEus. Quis enim est filius quem non casti-
get pater? Hebr. XII. 6. 7. & v. II. omnis castigatio in presens
quidem non videtur esse gaudii, sed molestie: at postea fructum
tranquillum justitiæ reddit eis, qui per illam fuerint exercitati.
 Et I. Cor. XI. 32. *καὶ ὑμεῖς, cum judicamur à Dominò, παιδευθή-*
μεθα, corripimur, ne cum mundo κατακριθώμεθα, h. e. conde-
mnemur. Quæ ut melius intelligantur, repetendum, quali-
 ter poena in *vindicantem* & *emendantem* distingvi soleat. Illa
 communiter poena absolutè seu propriè dicta vocatur, & de-
 scribitur, quod sit *malum vindicandæ culpæ destinatum*; ista
 verò *pœnæ medicinalis* & *castigationis* nomine venit, & Plu-
 tarcho *ιατρικὴ ψυχῆς anima medicatrix* venit, quæ hoc agit,
 ut eum, qui peccavit, meliorem reddat, medendi modo, qui
 est per contraria, quemadmodum Grotius L. II. de J. B. & P.
 c. XX. §. VI. loquitur. Conveniunt quidem poena propriè
 sic dicta seu vindicativa, & poena correctiva seu castigatio in
 eò, quod utraq; ei, cui obtingit, non modo molesta & mala
 videatur, verùm etiam utring; respectus habeatur ad cul-
 pam: differunt tamen fine, quod castigatio formaliter re-
 spiciat culpæ emendationem, poena verò propriè sic dicta
 vindictam & injuriæ compensationem. Nec fine tantum dif-
 crepant, sed causa etiam efficiente: poena enim vindicativa
 à justitia, quæ sibi satisfieri cupit, infligitur; castigatio au-
 tem à providentiâ & paternâ curâ proficiscitur. Fine differ-
 re *παιδείαν & κόλασιν, pœnam & castigationem*, egregiè
 etiam observavit Aristot. L. I. Rhet. c. 10. *Interest, ait, inter*

ultionem (pœnam propriè dictam) & *castigationem*. Nam *castigatio* quidem refertur ad bonum ejus, qui eam excipit, at *ultio* ad eum, qui pœnas exigit, ut animus ipsi expleatur.

§. LII.

Quare cum pœna propriè ita dicta vindictam pro fine habeat, sequitur ulterius, nullas afflictiones, quæ fidelibus & in statu gratiæ constitutis à DEO in hoc seculò immittuntur, pœnarum propriè dictarum. seu vindicatarum loco cense-ri posse. Non enim vindicandi, sed aut emendandi animo immittuntur, ut de magnitudine antea commissorum peccatorum commonefiant, & in posterum cautius mercari discant, veletiam tentationes, fidei constantiæq; exploratio-nes censendæ sunt. Istum in modum afflictorum exemplis plena est Scriptura S. & præ aliis illustre est, quod Jobi historia exhibet. Vocat eum ipse DEUS Job, II, 3, *servum suum, cui non sit similis in terrâ, virum integrum & probum, & religiosum, & vitantem malum, & qui adhuc retineat integritatem*. Deinde quoq; c. XLII. 7. objurgat amicos ejus, qui argumento à posteriori sumptò, ob impietatem & scele-ram affligi bonum virum contendebant. Hæc igitur Jobi hi-istoriâ docemur, affligi interdum pios DEOq; dilectos homi-nes, non ob vindicandum & castigandum peccatum antece-dens, sed ad explorandam eorum fidem atq; tolerantiam. Quocircà S. Jacobus c. V, 12., ubi de Prophetarum afflictioni-bus & patientiâ exemplar sumere jussisset, Jobum quoq; in-usitata tormenta tolerantem superantemq; introducit, quan-do ait: *Tolerantiam Jobi audivistis & finem Domini audivistis*. Syrus Paraphrastus reddidit: *finem, quem præstitit ei Dominus, vidistis*; quasi diceret, legistis in librò Jobi, quem exitum tandem Dominus afflictionibus ejus statuerit. Est quoq; ta-
lis

lis afflictio antidotum ad versus peccata, in quæ prolapsuri essent nonnulli, si afflictionis remedio non præservatò, hujus seculi commodis ad voluptatem & explendas cupiditates carnis abuterentur. Afflictionibus deniq; piorum territi impii respiscunt, quippe qui colligere hinc facile possunt, DEUM adeò severè in integros vitæ scelerisq; puros animadvertentè, ipsorum proterviam & impietatem inultum haud dimissurum. *Nam si in viridi ligno ista sunt, in arido quid fiet?* Luc. XXIII. 31.

§. LIII.

Pontificii, ut probent, remissa culpâ manere poenas, quæ, si peccatum condonatum sequantur, sint propriè tales, illud Pauli ex Rom. V, 12. *Per unum hominem peccatum introivit in mundum; & per peccatum mors, magnoperè urgent.* Mors autem, quum sit stipendium sive poena peccati & eos quoq; maneat, quibus illud est remissum, vel qui ab eò per baptismum sunt abluti, manifestum esse ajunt, remissò peccatò sive culpâ, nihilominus remanere poenam propriè dictam seu vindicativam. Ad quem scrupulum eximendum valet, quod mors, quam DEUS Genes. II, 17. minatus est, & Apostolus l. c. in mundum intrâsse dicit, non restringenda sit ad temporalem tantum, sed etiam ad æternam damnationem. Quod non obscurè indicat Paulus, quando Rom. VI. vers. ult. mortem quæ dicitur *stipendium peccati*, vitæ æternæ opponit, inquit: *stipendium peccati mors, donum autem DEI est vita æterna.* Quum autem oppositorum eadem sit ratio, sequitur, quod uti in dicti hujus posteriori membro, vita æterna, ita in priori mors æterna intelligenda sit, & sic DEUS Adamo præter mortem corporis, etiam animæ fuerit interminatus. Complexa autem est comminatio illa tri-

triplicem mortem, primò corporis, per quam ipsum in pulverem convertatur; deinde animæ mortem primam, h. e. amissionem imaginis Divinæ; & deniq; mortem animæ secundam, h. e. damnationem, prout hoc venit nomine Apoc. XX. 14. Quod si igitur non conjunctim, sed alterutra, vel mors corporis, vel mors animæ prima, seorsim sumatur, est quidem illa in non renatis pœna propriè dicta, ast non totalis & completa, verùm tamen inchoata: in renatis autem & fidelibus mors temporalis non est pœna, sed maximum beneficium, quia hæreditas est alterius vitæ, quæ nequè corrumpi, neq; contaminari, neq; marcescere potest. Proinde quæ mortis, etiam aliarum adversitatum est conditio, demptus illis pœnæ rigor, nihilque præter castigationem remanet.

§. LIV.

Cæterum tam arcta humani generis omniumq; hominum inter se est conjunctio, ut unus sæpè reus alterius sit, & ita in alterius pœnam puniatur. Unde Aristot. L. VIII. Nicom. c. 10. inquit: *Parentes diligunt liberos, ut qui sui quidpiam sunt.* Cui gemina scribit Cic. lib. I. de Offic. *Non dulcius hominum generi à naturâ datum, quam sui cuiq; liberi.* Et Tacit. in vit. Agricol. *Liberos cuiq; naturâ charissimos esse voluit.* Partiuntur parentes sibi cum liberis, quæcunq; his vel prospera vel adversa eveniunt fata. Hinc Chrysost. Homil. 29. in Gen. inquit, Chamum multò tulisse acerbius sui filii maledictionem, quam si fuisset ipsimet inflicta. Sic Zedekix non prius effossi sunt oculi, quam ubi filiorum eadem aspexit: nec Pharaò prius suffocatur, quam lanienam primogenitorum, suiq; primogeniti expertus: nec Maccabæa mater prius, nisi occisis filiis omnibus, macetur: nec Ruben in-

incestum suum luit prius, quam audivit extremam patris maledictionem potius quam benedictionem. Imo historia testis est, qualiter parentibus sæpè gravius fuerit, videre filios supplicii affici, quam si ipsi iisdem forent obnoxii. Oſtavius Balbus apud Valer. Max. Lib. V. c. 7. auditò falsò clamore viciniæ filium trucidari, se sponte neci, quam evaserat, obtulit. Simile quid de Blavo quòdam memoriæ prodidit Baptista Fulgosus L. V. c. 7. Quod probè perspectam, habens humanæ mentis conditor atq; intimus perscrutor, DEus, cum vellet parentes ab idololatriâ & hujusmodi aliis flagitiis retrahere, illis malum, quod aliàs in liberos innocentes devoluturi essent, ob oculos posuit, ut vel hæc ratione, si propriæ pœnæ viverent immemores, in circum rationis revocarentur. Intellexit id jam suò tempore Plutarch. qui Libr. de sera Numinis vindicta ita scribit: *Qua liberos stirpesq; pervadunt pœna viventibus conspicue, multos malorum dehortantur atq; reprimunt. Non esse autem fœdiorem ullam pœnam, aut quæ majorem asserat dolorem, quam si quis videat sua culpa suis posteris male esse, & cum impij sceleratq; anima hominis post mortem cernit (animo nimirum) non statuas suas aliquas antiquari, sed propter sua ipsius flagitia liberos suos aut amicos, aut necessarios, gravibus calamitatibus premi & pœnas dare.* Quam ad formam quoq; Tertullianus Lib. II. advers. Marcionit. c. 12. de minis DFi adversus facinorosos, loquens: *Duritia, dicit, populi ad talia remedia compulerat, ut vel posteritatis suis prospicientes, legi Divina obedirent.* Objicies, sæpius evenire, ut pater maturius obeat diem, quomodo tunc videre sentireq; possit malum, quod redundat in liberos? Sed hoc facile solutu est, si perpendatur patres ejusmodi ubi decedunt, non posse non metu fatigari, siquidem de libero-

K

rum

rum sorte sollicitos, quibus dira ac dura multa comminari DE-
um audiunt.

§. LV.

Sed etiam ob ipsos liberos sæpè evenit, ut eosdè propter pa-
rentū culpam, malis aliquibus subiciat DEus. Sum̄am hujus rei
clare docet Rivetus Comm. in Exod. V. To. I. op. p. 1277. hunc
in modum scribens: *Quodsi posteri sint pii, qui tamen vel bo-
nis corporalibus & honoribus in parentibus aut propter parentes
privantur: vel etiam gravissimis doloribus, afflictionibus, & mor-
te ipsa ante tempus inflicta afficiuntur: talia piis non nocent, nec
pœna eorum sunt, quamvis aliis, quorum partes sunt, pœnae sint.
Quinimo accidit, ut quæ parentibus sunt pœnae, filiis sint proba-
tiones & medicina, exercitia & occasiones majoris virtutis & me-
lioris præmii.* Quam facile namq; parentum vitia in ipsos li-
berorum influunt mores, & cum eorundem sanguine certo-
rum quoquè peccatorum semina in posteros propagantur.
Non equidem ipsa peccata actualia proximorum parentum
traduci, cum Lombardo L. 2. Dist. 33. lit. c. & Bellarmin.
L. VI. de amiss. grat. & stat. peccati c. 18. dicere audemus; ast
inclinationes & propensiones ad hoc aliudve peccati genus à
parentibus in filios derivari, experientia testis est Conf. Au-
gust. To. III. in Enchirid. ad Laurent. c. 46. & To. VII. L. VI.
contr. Julian. Pelag. c. 10. item Gerhard. To. II. C. de peccato
originali c. 7. §. 100. Sæpè quoq; liberi malos parentū mores
imitantur, idq; tantò facilius, quantò magis eosdem præ aliis
omnibus suspiciunt, & licitum esse justumq; putant, quod illi
perpetrant: sicut Israëlita pejus dicuntur operari, quam patres
eorum, Jerem. VII. 26. & XVI, 12.

§. LVI.

§. LVI.

Observavit hoc Arcadius Imperator, nec non Carolus IV. qui sancientes legem, ut liberi reorum Majestatis læsæ gravissimis afficerentur pœnis, hanc illius attulerunt rationem. ne paterna possent vestigia sequi: paterno pereundum esse illis supplicio, in quibus paterni criminis exempla metuuntur. Eleganter graviterq; eundem in sensum Plutarch. l.c. Quippe viri, qui in morbum gravem, neq; tamen immedicabilem, inciderit, ac deinde ob intemperantiam & mollitiem pro duto corpore perierit, filium non agrotare, sed proclivem duntaxat ad idem morbi genus creditum Medicus, aut necessarius aliquis aut Alipta sentiens, aut bonus dominus invictus rationem austeram conjiciens, adimensq; obsonia, bellaria, potationes, scorta, utensq; continuis medicationibus, exercitationibusq; corpus durans magnum malum exiguo semine dissipando averterit, non passus progrediendo augeri. Nonne enim sic precipimus, animadvertendos, non negligendos esse, qui patre aut matre morbosa nati sunt, statimq; innatum mali principium mobile & ad ledendum in proclivi situm, ejiciendum esse, animadvertendo? --- Non ergo absurdam rem, sed necessariam, neq; ridiculam, sed utilem agimus, quando filiis comitiali morbo, melancholia aut podagra detentorum, exercitationes, victus rationem & medicamenta accommodamus, non quòd agrotent. sed ut ne hoc fiat. Natum enim è malo corpore corpus, supplicium sanè nullum, sed medicinam tamen & custodiam meretur. --- An ergo corpus ex vitioso natum corpore, curare & custodire convenit? malitia innatam similitudinem tenerà indole germinantem & enascentem negligere debemus & moram nectere tantisper, dum se effundat, moribusq; pravis malignum occulti mali fructum detegat, ut ait Pindarus?

§. LVII.

Atq; id eò magis apud DEum locum haberè, idem observat Plutarchus, quò perspicacius is Ingeniorum similitudines & ad avita paternaq; vitia propensiones pervidet, nullo erroris periculo, quo homines ad interna, nisi externorum ope, non ita penetrantes, plerumq; falli, necessum est. Ita enim denuò post indicatas humani ingenii latebras, hominibus non ita facile pervias subjicit: *At verò DEus non ignorat cujusq; ingenium & naturam -- neq; rem differt, ut violentiam jam manibus, impudentiam voce, libidinem pudendis proditam puniat. Non enim ulciscitur se accepta injuria, neq; raptori irascitur vim passus, aut mæchum odit affectus injuria, sed medicine faciende causa sepè plectit ad adulterium, avaritiam vel injuriam faciendam proclivem, vitium veluti morbum comitalem anteverrens, priusquam erumpat. Inde fieri monet, ut non ad alios improborum liberos hæc pertineant, quàm qui paria peccaturi, medicinà hæc indigeant. Hinc est, inquit, quod non omnia parentum peccata Dii in liberos convertunt, sed si quis de malò nascitur bonus, tanquam bene affectus de morbofo, is generis pœna liberatur, ut pote è malitiâ, ut qualitate ortus. Qui vero morbo in similitudinem generis refertur atq; redigitur vitiosi, ei nimirum convenit, tanquam heredi debitas pœnas persolvere. Non enim profectò Antigonus propter Demetrium, non Phyleus propter Augeam, non Nestor propter Neleum sustinuit pœnam: (nati enim hi malis boni ipsi fuerunt) sed quorum natura amplexa est cognatam malitiam, hos justitia similitudinem pravitatis persequens supplicio affecit.*

§. LVIII.

Hæc ut plana & liquida sunt omnia, ita controversia non carent, quæ ab aliis, de pœnis spiritualibus & æternis dis-

qui-

quiruntur, utrum illis quoque ob parentum peccata implicentur posterius? Quod si enim afflictiones hasce vel tanquam *tragedias*, vel tanquam *doximas* interpretari voluerimus, sequitur illico nullum hic poenis spiritualibus aeternisve locum relinqui posse, in quibus mors animae consistit. Pœnæ spirituales sunt occœcatio, sensus reprobus, subtractio gratiæ, induratio, *quæ à DEO est, non ut peccatum, sed ut peccatorum pœna*, definiente Scherzero in System. Theol. Lib. VII. de peccato p. 164. Theologi nostri ita de illis spiritualibus poenarum generibus sentiunt: Hunnius in Lib. de Prædest. Quæst. & Respons. p. 230. *Quando sapientes hujus mundi aspernantur & repudiant sapientiam DEI in Evangelio propositam, ibi voluntate consequente, quæ justitiæ est, vult (DEUS) ut porro eis absconditum maneat Evangelium de Christo, ad puniendum impium hunc contemptum tanti tamq. Divini beneficii.* Forsterus Comm. in c. VI. Esa. taliter: *DEUS omnino vult nonnullos indurari, sed non absolute, verum propter antegressam impietatem plane insanabilem, quæ indurationem, ut pœnam justissimam fuerunt commeriti.* Balduin. Comm. in Epist. ad Rom. c. IX. fol. 285. *DEUS neminem sua gratia deserit, nisi ab eo prius aliquoties fuerit desertus, in cujus contumacia pœnam duritiem illam hominis indurati relinquit.* Similia Jac. Martini in Disp. Theol. XI. de peccato actuali §. 20. docet: *Interim non negamus, DEUM loco pœnæ impenitentes subinde in graviora incidere peccata permittere.* Quando enim nullus penitentiæ conceditur locus, *DEUS ut justus iudex & vindex scelerum gratiam suam subtrahit.* Pariter Dorfscheus in Sylloge Vindic. & Animadvers. ad Bellarmin. in IV. Tom. Controvers. factas, allegat ex Exod. c. IV. Dissert. X. §. 21. p. 235. *Si homo peccatis jam sit gravibus commaculatus atq. implicatus, ex defectione atq. exciden-*

cientia ab ordine Divino libera, & accedat permissio Divina circa ulterius, ex impetu nature corrupta ebulliens peccatum, deniq; desertio adveniat Divina justissima sapientissimaq;, qua tantum auxiliorum subtrahit, quantum duritiei obstat, nihil amplius est, quod resultantem sive emer suram indurationem retardare queat & impedire sive reprimere.

S. LIX.

De hisce pœnis spiritualibus, quæ æternas secum trahere solent, à multis disquiritur, utrum illis etiam filii ob parentum majorumq; culpam implicari possint? Posse enim hominem alienâ perire culpâ, diferta Scripturæ S. loca Ezech. III, 17. & XXXIII. 6. testantur, ex quibus tamen patet, quod tunc propria non excludatur, sed etiam concurrat culpa; idq; tam latè interpretantur nonnulli, ut peccata propria per aliena aggravari dicant. Brentius Homil. 109. in Luc. c. XI, 49. sc. 51. perpendens Christi verba, quod legisperiti eo homicidio, quo interfecerunt Apostolos, fecerint se reos omnis sanguinis, qui effusus est super terram, à sanguine Abel justî, usq; ad sanguinem Zachariæ, ita commentatur: Hoc quid aliud significat, quam peccatorem uno peccato non simpliciter peccare, sed facere se coram DEo reum omnium eorum scelerum, quæ in peccati eodem genere ab aliis designata sunt. Ut e. g. qui latrocinatur, non ejus tantum latrocinii reus sit, quod ipse committit, sed fit reus in judicio DEI omnium latrociniorum, quæ unquam commissa sunt. Qui proximum imposturis d. cipit, non tantum reus est ejus imposturæ, quam ipse designat, sed fit etiam reus omnium imposturarum, quæ ab aliis designata sunt. Quid horribilius excogitari potest? Sua tantum propria peccata ferre intolerabile est, quomodo ergo feres etiam aliena? Idem sentit Hunnius To. III. super Matth. c. XXIII. Winckelmannus

nus in Comment. super Luc. c. XI. p. 676. Dietericus in Analyfi Evangelicorum & quidem in die festo Stephani, Gerhardus in Harmoniâ Evangelist. Part. 2. c. 158. p. 212. Piscator in cit. Matth. loc. Observat. 22. sequentem in modum scribit: *Qui impiorum majorum impia facta imitantur, illi eandem cum ipsis pœnam luunt; eamq; eo majorem, quod facta illorum factis suis approbarunt, atq; ita illorum quodammodo socii fuerunt. Hinc enim est, quod Christus Scribis & Phariseis sui temporis impunitæ cadem Zachariæ, eisdemq; minatur vindictam sanguinis omnium justorum ante id tempus occisorum. Uti verò ejusmodi liberi non aliorum tantum, sed etiam propria culpa, quâ superant majores, pereunt, ita discipulatione non caret hæc quæstio, utrum per DEi bonitatem ac justitiam fieri possit, ut propter solam majorum pervicaciam, gratiæ suæ donâ posteris subtrahere queat DEus? Tale quid verò fieri, potissimum propter verbi Divini contemptum, ut pœna etiam in posteritatem redundet, exemplo suo ostendunt obstinatissimi mortalium, Judæi. Conf. Amos VII, 17. & VIII, 12. 14. item Matth. XXI, 43 & XXIII, 38. Lutherus in c. II. ad Gal. Horribilis, inquit, & insinita est via DEi, quod tot seculis puniverit ingratitude & contemptum Evangelii & Christi in Papis, tradendo eos in reprobum sensum, ut in totum abnegato, quantum ad usum ejus attinet, & blasphemato Christo, in locum Evangelii receperint abominationes regularum & traditionum humanarum &c.*

§. LX.

Dubium hoc sibi excutiendum inter alios sumpsit Joh. Micrælius L. 2. de Prædestinat. c. 8. idq; seqq. Spanhemii verbis ex ejusdem Exercit. de grat. univers. depromptis concinnatum: *Infantes innumeri sine verbali & reali vocatione sive per*

per lucem subjectivam, sive per lumen objectivum facta, extra DEi fœdus extinguntur. Dicere tales in majoribus suis vocatos esse, ludibrium est, quia sepe tam majorum vocationem admittentium posteri non vocantur, quam rejicientium vocantur. Et rediit questio, cur DEus hos infantes præ aliis maluerit ex his parentibus immorigeris nasci, quos norerat vocationem excussuros, & quibus gratiam non excutiendi vocationem largiri non constituit. Ad quæ ubi varia, responsionis loco adduxit, ita tandem discursum concludit, ut perire infantes etiam parentum culpa statuat. Fœdus enim, inquit, dum nondum erant Deut. XXXIX. 14. cum illis (liberis) pactum est, sed juxta ordinem ab ipso DEo institutum, ut essent in potestate parentum, eorumq; sive privilegii gauderent, sive damnis dolerent: utq; parentes obligati essent ad liberos in verò DEi cultu educandos: & si id facere negligerent, ut filii neglecti quidem pereant, sanguis autem de manibus patrum requiratur, Ezech. III. & XXXIII. Et propterea qui ex Caino vel Chamo jam ex Ecclesia extorribus natus, infans fortè extinguebatur, nisi judicio DEi committi debet, non tamen negandus est vel verbaliter vel realiter esse vocatus: Verba enim DEi Cain & Chamus pro se & nascituris audierant: vim etiam & rem verborum senserant. Sed dum sese abstraxere ab Ecclesiâ, omnes quoq; in lumbis suis latentes simul abstraxere, eidemq; secum maledictioni subjecere, quia illis media salutis malitiosè præcluserunt. Si igitur lux in infantibus Gentilium non est subjectiva, i. e. si non credunt, unde factum est, quod lumine objectivo, quod ad ipsos quoq; volente ita DEo pertinebat, verbo scil. & Sacramentis gratiæ, per malitiam majorum privati sunt. Quod nisi isti subtraxissent, sufficiens illuderat sua natura efficacia ad illorum mentes illuminandas & verâ fide imbucendas, præsertim, quia DEus neminem ab-

solutis

solutis decretis ab hoc Evangelii lumine arceat: ut omnis culpa sit penes eos, qui radios ejus, universis paternâ DEi voluntate destinatos, tam in se extinguunt, quam impediunt, quò minus in posteros demitti queat.

§. LXI.

Aliò modò ad hanc Spanhemii objectionem respondet Danhawerus in Hodomor. Spir. Calv. Phantasm. IX. dicendo, verbi Divini prædicationem omni tempore esse catholicam, vel virtualiter, quatenus passim nunciis, fama, fulgoribus, gratiæ suffragis omnes & singulos invitât; vel actualiter, quatenus actu vocali præconio ubivis ac semper personat: postremo modo Evangelii prædicationem non esse catholicam, intercedente hominum ingratitude, qua Nemesis divina ac fames verbi laceffitur. Et post pauca hæc subjicit: *Ego licet ignorem omnem Divini judicii causam, non tamen ad absolutum decretum confugiam, quòd judicia Divina justa esse non sinit. Infelices sunt exterorum liberi in pædagogia ad viam salutis, non tamen exclusi absolutè à viâ salutis. Sic ita morte moriuntur, felicissimi, ut de quorum salute nulla causa est, cur quisquam dubitare debeat? Vid. Hodosoph. Phœnom. X. p. 729. Si adolescenti in media Turcia, inveniunt, dummodo si querant, Biblia apud Judæos aut Christianos.*

§. LXII.

Non alia docuit Lutherus, sicut ex his ejus verbis Tom. IV. Op. edit. Altenburg in Exposit. Decalogi p. 603. videre est. *Diese Frage/ warumb der Sohn für den Vater leide/ hat der Prophet Ezechiel gehandelt/ und spricht: Ihr habt ein Sprichwort unter euch in Israel; die Väter haben Heerlinge gessen/ und uns sind die Zähnen stumpff worden. Und Jeremias spricht: Unsere Väter haben gesündigt/ und sind dahin/ wir aber müssen ihre Sünde entgel.*

74
gelten. Und so gehets noch heutiges Tages wir sündigen und verdienen/ das unsere Nachkommen entgelten müssen. Das soll man aber nicht also verstehen/ daß eine Straffe der Seelen sey/ daß das Kind umb des Vaters willen verdambt werde/ wie es denn Ezechiel selbst anzeigt an jehund genandtem Ort: Die Seelen/ spricht Gott durch Ezechiel/ sind alle mein/ des Vaters und des Sohnes/ welche aber sündiget/ die wird sterben: sondern man soll es von der leiblichen Straffe verstehen. Er straffet die Kinder umb der Väter willen/ läset sie sterben/ die doch sonst gleichwol sterben müssen/ und strafft also die Väter/ daß er zuweilen ein ganz Geschlecht ausrottet. Also segnet er die Väter in den Kindern/ das viel Nachkommen genießen (leiblich) daß die Väter fromm gewesen sind.

§. LXIII.

Ita verò etiam alii inter Ecclesiæ nostræ Doctores statuerunt. D. Luc. Osiander super Gen. IX, 15. scribit: *Adeo execratur Spiritus S. (qui loquebatur per Noë) impium & ingratum Cham, ut ne nomen quidem ejus exprimere dignetur, sed in filii ejus nomine ei maledicit; qua maledictio ipsum Cham ejusque posteritatem, non temporali tantum servituti & infelicitati, sed aeterna morti etiam & damnationi (exceptis iis, qui penitentiam egerunt.) subjecit. Chanaan enim & Canaanos patre suo Cham nihilo meliores futuros, sciebat. Et Gerhardus super h. l. p. 25, ait; Maledictus Chanaan, at filius non portabit iniquitatem patris, Ezech. XVIII, v. 28. Resp. I. Distingvendum inter liberos impiorum parentum vestigia sectantes & ab illis abhorrentes per seriam ad DEUM conversionem. 2. Inter pœnas temporales & aeternas. DEUS punit peccata parentum in liberis, eadem imitantibus, & temporaliter & aternaliter,*
Exod.

Exod. XX. v. 5. Ergò etiam Noachus, Spiritu DEi plenus, potuit Chamo predicere pœnas à posteris ipsius luendas, ut intelligeret, se impietate suâ non sibi solùm, sed etiam posteris maledictionem attraxisse.

§. LXIV.

Similem hac de re sovent sententiam S. Patres, qui passim verba DEi, quibus se peccata parentum etiam in filiis puni-
turum minatur, restringunt ad ejusmodi liberos, qui se
complices peccatorum à progenitoribus commissorum faciunt; ex quò colligi potest, eos non statuisse, quod pœnæ
spirituales & æternæ indiscriminatim ad quosvis proficiscan-
tur liberos. Ex magnò illorum cumulò audiatur Augustin.
qui To. I. Op. Ep. 15. ad Confacerdotem Auxilium scribens,
ab eò petit, ut certis rationibus vel scripturarum testimoniis
exploratam promat sententiam, *Quomodo rectè anathematizetur pro patris peccatò filius, aut pro mariti uxor, aut pro domini servus, aut quisquam etiam in domò nondum natus, si eodem tempore, quo uniuersa domus est anathemate obligata, nascatur, nec ei possit per lavacrum regenerationis in mortis periculò subueniri?* Statim subjicit, corporalem quidem pœnam sive afflictionem ad innoxios dimanare, non autem spirituales. *Negè enim, inquit, hæc corporalis est pœna, qua legitimus quosdam contemptores DEi cum suis omnibus, qui ejusdem impietatis participes non fuerunt, pariter interfectos: tunc quidem ad terrorem viventium mortalia corpora perimebantur, quandoq; utiq; moritura. Spirituales autem pœna, qua fit, quod scriptum est, que ligaveritis in terrâ, erunt ligata & in cælò: animas obligat, de quibus dictum est: Anima patris mea est, & anima filii mea est; anima que peccaverit, ipsa morietur.* Paria habet in Quæst. super Jos. Qv. 8. & 9. To. IV. Op.

§. LXV.

Consensum suum etiam nonnulli ex Reformatis Docto-

ribus huic sententiæ præbuerunt, Petrus Martyr in L.L. CC. p. 77. agens de hoc nostro Ezechielis loco: *Itaq;*, inquit, *alii interpretati sunt illum locum de pœnis æternis, de amissione gratiæ ac Spiritus: quæ dicunt cuiq;*, propter sua ipsius, non propter aliena peccata contingere. *Interim tamen volunt, & liberos pro parentibus, & populum principum causa perpeti pœnas temporales. DEus enim, inquiunt, vult punire patres in filiis. Filii enim pars quædam sunt parentum. Nec absurdum esse ajunt, si filii suis afflictionibus parentibus profint: quum & illi hoc pacto revocentur ad pœnitentiam, & ipsis nulla fiat injuria, si, quum sint mortales, moriantur. DEum enim tempora vel vivendi vel moriendi sapienter dispensare, & cum filios è vitâ rapere: vel ne malitiâ corrumpantur, vel si jam in peccatis & in damnatione sint, ne magis magisq;*, aggraventur, utq;, finem aliquando faciant malè vivendi. Atq; in hanc sententiam Augustinus videtur nonnihil inclinare in Quæstion. super librum Josuæ qv. 8. & 9. *Et qui volunt has reliquias originalis culpæ, quæ supersunt per regenerationem, non esse peccata, sic coguntur statuere. Non enim dicere possunt, in parvulis ipsorum peccata puniri, quum ea nulla esse assèrant. Nos verò, qui ea omninò peccata esse dicimus, docemus, non imputari quidem ea ad mortem æternam, sed tamen aliquibus pœnis interdum premi, ut intelligi possit, ea DEo displicere. Lanchius To. IV. p. 373. Æterna pœna nemo propter peccatum prorsus alienum punitur, ut etiam demonstratum est, Oportet igitur iniquitatem parentum fieri etiam liberorum, si propter illam tali debeant puniri pœnâ. Quomodo verò sit? Non propagatione, quia hoc est proprium originalis peccati; ergò per imitationem. Quare èò adduci filios, ut similes fiant patribus iniquitate, necesse est.*

S. LXVI.

Agmen claudat Rivetus, cujus hæc sunt Comment. in Hof. c. XIV. p. 796. verba: *Hic queritur, annon iniquum sit, infames*

fantes & fœtus, etiam qui etiamnum latent in matrum visceribus, tam gravi pœnâ affici, cum nondam quicquam fuerint promeriti? Resp. Si Assyrios spectes, id fuisse perquam inhumanum, & fœdissimam redoluisse barbariem, Deoq; detestandam, qui etiam suò tempore tanta immanitatis vindictam erat sumpturus. Ad DEUM autem quod attinet, talia permittentem, & in filios Israëlitarum dirigentem, aliam prorsus rationem esse. Non dicam, quod nonnulli inter causas referunt, prævidisse DEUM, liberos illos parentibus suis similes fuisse futuros, eos itaq; justè potuisse delere. Non enim DEUS solet punire peccata prævisa, nunquam eventura: & meritò ab Augustinò & aliis Orthodoxis exhibita est Pelagianorum cogitatio, qui infantium electionem referebant ad prævisionem operum, quæ facturi essent, si supervixissent. Quam rationem, si DEUS in bonis non habeat, certè in malis multò minus. In pœnis ergò liberorum, præsertim infantium, propter peccata parentum duo cogitamus. 1. Totum genus humanum DEO obnoxium esse, ne infantibus quidem exceptis, qui inclusi sub reatu tenentur, ut DEUS crudelitatis damnari nequeat, si suò jure utatur contra eos, quod facit, dum sceleribus parentum irritatur, ut contra misericordiam exercet posteritatem piorum. 2. Ita permittere DEUM, ut in miserorum posterorum corpora se viatur, ut tamen ipsorum animabus consulat, præsertim Israëlitarum, qui nondam erant prorsus à DEI fœdere alieni, atq; ad eò in tenellulâ illâ etate poterant salvari; id saltem extrâ dubium est, dum ante usum rationis ex hac vitâ tollerentur, periculo peccandi, & parentes imitandi, fuisse exemptos, proinde etiam, si æternis pœnis fuissent ob originale peccatum adjudicati, levior esse debebat illorum damnatio. Deniq;, etsi non constaret nobis hujus vindictæ ratio, semper tamen adoranda essent DEI judicia, aliquando quidem occulta, semper autem justa.

§. LXVII.

Unicum adhuc superest hic removendum à nobis, quod

quod circa hanc etiam temporalem poenam movere aliquis posset dubium. Idem enim DEus, qui comminatur eandem, etiam retributionem promittit propter parentum pietatem. Enimvero non semper Elkana & Hanna, sæpe Nabal & Abigail, Moses & Zipora thalamo junguntur. Contingit Isaacum esse probum; contingit etiam Esavum esse profanum, imo haud rarò idem homo se varium præbet æquabili virtutum vitiorumq; temperamento. Quomodo hic comminatio vel promissio illa Divina simul locum habere & confusio meritorum ac demeritorum parentum evitari poterit? Sequetur sanè, aut comminationem & promissionem DEi simul stare posse, aut utramq; tollendam esse? Ad quam objectionem respondemus, nobis quidem videri, DEo autem nequaquam esse impossibile, ut benefacere posteritati eandemq; visitare, ob diversa parentum majorumq; facta, possit. Ita filius Davidis ex illegitimo thoro susceptus, præmaturâ morte correptus est in pœnam parentis, 2. Sam. XII, 15. Similiter hoc Regis peccatum poenam in alios transtulitq; liberos, v. 9. & seqq. & tamen iisdem quoq; benefecit DEus, intuitu pietatis Davidicæ, *dando illi lucernam in filios ejus omnibus diebus, nec omnem misericordiam revocando*, 2. Reg. VIII, 19. cum Reges Judæ, ob Salomonis idololatriam, per defectionem decem tribuum simul affligerentur, 1. Reg. XI, 31. seqq. & XII, 19. manifesto exemplo, quod & pœnas & præmia sic temperare sciat DEus, ut & sapientia & bonitas & justitia ipsius utrobique elucescat.

ERRATA EXTANTIORA HOC MODO CORRIGENDA.

Pag. 4. lin. 3. post voculam quam, insere hæc: *in illis puniri possunt*. p. 23. lin. 7. lege: *baptizato*. p. 27. l. 1. lege: *L. 3. c. 1.* p. 31. lin. 15. lege: *suppediat*. p. 34. lin. ult. post concernere, adde: *constat*. p. 39. lin. 10. lege: *πρόσδιορισμός*. p. 44. lin. 18. pro, poena eorum, lege: *pœnas reorum*. p. 49. lin. 16. lege: *legi Evangelium præstat*. p. 51. lin. 21. pro, errores, lege: *voluntates*. p. 52. lin. 12. lege: *prævisam*, & l. 13. *prævisionem*. p. 56. l. 5. lege: *ἐπιλόγειας*. p. 61. lin. 6. lege: *filiis*. p. 63. l. 2. lege: *preservati*. p. 65. l. 9. lege: *persecrator*. p. 72. l. II. lege: *XXIX*.

99 A 6943





Handwritten initials

Detrov

Vb 17 *Mi 97*







Q. D. B. P.
DISPUTATIO THEOLOGICA III,
DE
**GENUINO ET
HARMONICO SENSU
DICTORUM**

Exod. XX, 5. & Ezech. XLIX, 19. 20.
apparenter sibi contradicentium,
Conciliationem eorundem ex mente Spiritus S. tradens;
Qvam,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO atq; EXCELSISSIMO PRINCIPE ac DOMINO,
**DOMINO FRIDERICO
WILHELMO,**

REGNI PRUSSIAE ET ELECTORATUS BRAN-
DENBURGICI HAEREDAE, &c. &c. &c.

VENERANDAE FACULT. THEOL. CONSENSU,

IN ACADEMIA REGIOMONTANA,

Placide eruditorum ventilationi sstunt,

PRÆSES

MICHAEL SCHREIBER,

S. Theol. Doct. & P. P. Ordin. Consiliar. Consistorial. Eccles.
Cathedral. Cniphosian. Pastor ac Bibliothecar. Wallenrod.

Et Respondens

ANDREAS ERNESTUS Dorn/

Rector Scholæ Angerburg.

ad d Martii. A. MDCCXII.

IN AUDIT MAX Horis consuetis.